



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXIII.

PRÆSIDE,
M. THEODORO BARON,
Doctore Medico, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſinæ Socio, Librorum circà Medicinam, vel Chemiam, vel Hiſtoriam Naturalem, Cenſore Regio.

An quò Manducantur Accuratiùs, eò Coquuntur Perfectiùs Alimenta?

I.


UMANUM corpus ita eſt à naturâ comparatum, ut eodem ipſo quo viget indeſinenti humorum circuitu maximas varia per Emunctoria patiatur jacturas. Hæ totius Machinæ ruinam brevi poſt ſe traherent, niſi continua earum fieret reparatio. Hinc Alimentorum neceſſitas quæ beneficum ſuppeditando ſuccum, Secretionum afferant materiem, requiſitam Sanguinis molem conſervent, mitem ipſius indolem foveant, vitæque pabula ſubminiſtrent. Succus ille Chylus eſt, liquor albus, lacti æmulus, ſapore dulcis, in Ventriculo & Duodeno elaboratus, Lacteorum ope, nec-non Ciſternæ lumbaris & ductûs Thoracici miniſterio ad Sanguinem deferendus. Illius confectio Digeſtionis nomine notiſſima. Quo peragatur Mechaniſmo non ita notum; ſaltem non uno ore ab omnibus recognitum. Alii cum *Galeno* ventriculi & partium ambientium calori concoquenti negotium illud

omne tribuunt. Solventem alii in Ventriculo humorem acidum cum *Helmontio* admittunt. Illi *Sylvio Deleboe* adhærentes, alimenta per Fermentationem in Chylum converti existimant. Sunt qui Chylosi liquoris originem à Putrefactione post *Listerum* deducere audeant. Nonnulli recentiorum altiùs longè cæteris sapere se opinantes, *Erasistrati* sententiam calculo suo comprobant, Ventriculumque Prælo assimilant, cujus vi Chylum ex alimentis elici asserere non erubescunt. Diversus omnium error, par autem errandi modus. Omnes secundariam tantùm auxiliatricemque Digestionis causam pro primariâ atque unicâ venditant. Tu genuinam assignaveris, si nulli opinioni mancipium factus, quid unaquæque mitigato sensu accepta boni retineat selegeris. Fermentatio, Tritus, Calor, Acidum, quin & ipsa Putrefactio, suo quæque modo alimentorum in Chylum conversionem juvant; juvat & Salivæ succique Gastrici admixtio, tandem operi coronidem imponit Pancreatici liquoris Bilisque accessio. Hæc sunt ad Digestionem requisita, totidemque veluti illius instrumenta. Id ergo omne Digestionis perfectioni ancillari fatearis, quo ad subeundam à tot agentibus inferendam alterationem aptiora redduntur alimenta.

II.

ALIMENTA alia fluida, alia solida. Fluida ferè nullam in ore præviam præparationem requirunt priusquam ad ventriculum detrudantur. Ea est ipsis partium tenuitas quâ Lacteorum oscula subire valeant. Secùs solida. Quæ nisi fluiditatem sibi negatam à naturâ Digestionis ope adepta fuerint, corpus nedum nutriant, ne quidem circulationis vias ingrediuntur. Digestio itaque est alimentorum solidorum in fluida conversio. Hanc multa promovent. Tanta est Salivæ ad id negotii utilitas, ut alimenta hoc succo parciùs remollita ingens Ventriculo facessant impedimentum. Hinc qui ridiculè non minùs quàm inconsultè Salivam spuendo continenter rejiciunt, difficillimè cibos concoquunt. Alimenta salivali latice semel imbuta ac veluti penetrata, Deglutitionis ope feruntur ad Ventriculum. Ibi Gastrico liquore Salivæ æmulo ulteriùs emolliuntur, acescentibus cibi reliquiis maritantur, calore loci foventur, calefacta à contentis in se particulis aëreis expanduntur, hâc expansione Principiorum nexus solvitur, salia ab involucris liberantur, nova ineunt connubia, Fermentationemque inchoant aut Putrefactionem, prout in hanc prona sunt si ex Animalibus, aut in illam si ex Vegetabilibus deprompta fuerint alimenta. Interea cibi hospitantis mole ac contactu titillatæ Ventriculi fibræ lenes nec tumultuarias ineunt contractiones, massamque semifluidam hinc & inde versant ac molliter premunt, non terunt. Laboris etiam in partem veniunt alternæ Diaphragmatis & musculorum abdominalium contractiones, quæ subjectum sibi Ventriculum agitando ejusque locum indesinenter mutando, intimiorem alimentorum à succo Gastrico nec non à potulentis (quorum ad promovendam Digestionem maxima vis est) dilutionem parant. Verùm quâ proportione diluuntur alimenta, hâc eâdem & prementibus potentiis & fluidorum lege versùs declive Pylori orificium feruntur, Ventriculum secundarium ingressura, Duodenum intellige. Huc semel perducta, inchoata quidem sed diuturnioris in Ventriculo moræ defectu intercepta ipsorum Fermentatio aut Putrefactio, Bilis ac succi Pancreatici opportunâ admixtione penitùs compescitur. Heterogeneæ Chymi particulæ largiori jam fluido innatant, saponaceâ biliosi humoris virtute colliguntur ac uniuntur, liquidumque partibus suis integrantibus homogeneum constituunt. Jam tenes Digestionis Mechanismum, tantòque hanc fore perfectiorem intelligis, quantò facilior fuerit instrumentorum ad id opus necessariorum applicatio.

III.

ORIS cavitas spatio inter utramque Maxillam à Naturâ relicto comprehensa, duplici dentium serie munita, volubili in omnem sensum musculo instructa, salientibus undequâque Salivæ rivulis irrigua, alimentorum prima Officina jure ac-

meritò debet appellari. Quam ibi patiuntur elaborationem cibi, *Masticationem* dicunt. Sic autem perficitur. Alimenta ore indita dentibus Inciforiis dividuntur, Caninis si necesse sit discerpuntur, dilaniantur; mox contractione Linguæ Molaribus subjiciuntur, ibidem actione *Buccinatoris* musculi detinentur, disjecta restituuntur; tum Maxillæ inferioris agitatione continuâ teruntur, subiguntur, in partes minutissimas rediguntur; interim depluens salivalis latex iisdem commiscetur intimiùs; donec molliusculam adepta consistentiam, haud cessantibus Linguæ motibus volutata in unum colligantur, ac Boli in modum efformentur ad Pharingem usque propellenda. Mechanicum opus *Masticatio* mechanicis exercetur agentibus. Maxilla inferior quæ sola mobilis *Vectem* exhibet compositum primi generis (in quo scilicet movens potentia Hypomochlium inter & resistentiam sita est) fortissimis ideò hinc & inde instruitur musculis *Temporali*, *Massetere*, *Pterygoïdeo* interno & externo. *Temporalis* seu *Crotaphites* à toto ambitu lineæ semicircularis ossium Bregmatis oriundus, inter duplicem Pericranii lamellam contentus, musculus est penniformis fibris constans carneis radii in modum dispositis, desinentibus in tendinem mediam musculi crassitiem occupantem, tandemque progrediendo chordam fortissimam æmulantem, juxta sulcum Apophysis Jugalis ossis temporum ad processum Coronoïdem Maxillæ inferioris progredientem ibique insertum. *Masseter* seu Mansorius ex limbo inferiori Apophysis Zigomaticæ ossis Temporum ortus pergit versus inferiora, fibrisque decussatis superficiei externæ anguli Maxillæ inferioris firmissimè implantatur. Pterygoïdeorum internus alter ab Apophysis Pterygoïdeæ cavo maximè verò ab alæ exterioris facie internâ descendit versus angulum Maxillæ inferioris, ejusdemque faciei internæ adhæresit. Externus ab externâ alæ ejusdem facie horizontaliter tendit versus Apophysem Maxillæ Condyloïdeam, huicque inseritur. Octo illi musculi Maxillam inferiorem sursùm attollendo illamque modo in alterutrum latus, modo prorsùm, modo retrorsùm movendo, intercepta dentibus Molaribus alimenta premunt, conterunt ac comminuunt, eòque accuratiùs quò diutiùs alterna illorum contractio continuatur.

IV.

TANTAM *Masticationi* ad Digerendum efficaciam tribuerunt Arabes, ut illum animam suam odisse dixerint qui oderit *Masticationem*. Nec injuriâ. Ut enim primæ coctionis vitia in secundâ non emendantur, sic imperfectæ *Masticationi* non medetur prima Coctio; sed qualis fuerit alimentorum in ore subactio, talis erit & Chylificatio. Et profectò quis ab exactâ *Masticatione* plurima exurgere commoda non intelligit? Parotides Glandulæ, Maxillares, Sublinguales, aliaque multa Salivalis liquoris Secretoria hunc à naturâ situm obtinent quo repetitis Maxillæ inferioris motibus agitata ad Salivam uberiùs eructandam invitantur. Hinc major accedit Cibis mollities, & ad fluiditatem concipiendam dispositio. Præterea diu continuatâ *Masticatione* Aër maximâ copiâ impeditur intra particulas alimentorum, numerosissimis quæ relinquunt inter se spatiolis sese insinuat, Digestioni egregiè famulaturus cùm Ventriculi calore expansus, obicesque molitus perrumpere ulteriorem Ciborum divisionem pariet. Alimenta exactiùs masticata minorem contrahentibus sese ventriculi fibris opponunt resistentiam, à succo Gastrico faciliùs solvuntur, in Duodenum perducta ob laxiorem sui texturam intimiùs à succo Pancreatico imbibuntur, à Bile penetrantur, & in fluidum homogeneum assimilantur. Quæ quidem omnia si deficiant, manca est & imperfecta Digestio. Enimverò si leviter tantum in ore conquassantur Cibi, præsertim solidiores, jam Frusta constituunt majora, salivâ & aëre parcissimè imbuta, pondere suo fibris Ventriculi molesta, ob nimiam crassitiem à lymphâ Gastricâ difficillimè emollienda, Bilis energiam effugientia, &

ſuccumque Nutritium ægerrimè fundentia, huncque craſſum & malè elaboratum. Patet ergò quàm rectè à quibuſdam pronunciatum fuerit, bolum unicum ruditer maſticatum difficiliùs concoqui à Ventriculo quàm decem optimè maſticati. Tantò itaque eſt perfectior Digeſtio, quantò accuratior Maſticatio.

V.

NEC ratione tantùm, ſed & Experientiâ adſtruitur exactæ *Maſticationis* ad perfectam Digeſtionem neceſſitas. Senes illos videas quibus periit amiſſa cum dentibus Cibos commolendi ac terendi facultas. Hos inter pauci Apepſiæ aut Bradypepſiæ, nulli Diſpepſiæ non obnoxii. Cave inſontem tunc incuſes ventriculum, inertemve nimiùm Bilem acuendam exiſtimes, verùm alimenta præbeas non imparata; meliùs denegatæ *Maſticationis* uſum facillimis ſolutu alimentis ſuppleas, ſua ſtatim reddetur Digeſtioni perfectio. Exemplo etiam ſunt Helluones, quibuſque Venter eſt Deus; ii omnes *Maſticationis* commoda ultrò negligentes, vitæque felicitatem ex Ventriculi diſtentione æſtimantes, tantò difficiliùs Digerunt, quantò avidiùs vixque dum dentibus confracta, non tam deglutiunt quam vorant alimenta. Ne ſtupeas ergo quòd Gulæ ſervientibus frequentior fit Ventriculi per ſuperiora quàm per inferiora exoneratio. Nec reponas, organis ad *Maſticationem* neceſſariis carere prorſùs univerſam Avium gentem. Diverſas etſi quandoque ſequatur Natura vias, ſæpe nihilominus eundem attingit finem. Quod opus perficiunt dentes in Quadrupedibus & Piſcibus, illud idem abſolvunt in quibuſdam Volucrum ſpeciebus lapilli quos deglutire amant, in omnibus ſpecialis quidam Ventriculus robuſtis duobus muſculis conſtans ac veluti carneus. Sed ad Hominem revertamur. Nonne fluidiſſima Chylique indolem jam referentia alimenta infantibus parat optima mater Natura, donec in germine latitantes adhuc dum dentes, omninò explicati, tantam adepti fuerint duritiem, ut cibis ſolidioribus confringendis ac commolendis, uno verbo ad ſubeundam in Ventriculo & Inteſtinis perfectam elaborationem præparandis valeant inſervire?

Ergò quò Manducantur Accuratiùs, eò Coquuntur Perfectiùs Alimenta.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus Gourlez de la Motte.	*M. Claudius-Joſephus Gentil, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.*	*M. Ludovicus-Alexander Vieillard.*
M. Joannes Baptiſta Baſſeville.	*M. Edmundus-Thomas Moreau.*	*M. Ludovicus-Guillelmus le Monnier, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius primarius deſignatus, Regiarum Pariſienſis, Londinenſis ac Berolinenſis Academiarum Socius & in Horto Regio Botanices Profeſſor ac Demonſtrator.*
M. Simon-Antonius Bringaud.	*M. Joannes-Baptiſta Thurant.*	*M. Joſephus-Exuperius Bertin, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis, dùm viveret, Medicus ordinarius & Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Socius Veteranus.*

Proponebat Pariſiis MATTHÆUS-THOMAS LACASSAIGNE, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1763. à ſextâ ad meridiem.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.